

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXV - N. 2

2003

COMMUNICATIONES
PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRIS 2003

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutio ad quosdam Philippinae Episcopos Limina Apostolorum visitantes	149
Ex Adhortatione Apostolica post-synodali <i>Pastores Gregis</i>	152

EX ACTIS CONSILII

Adnotatio circa validitatem matrimoniorum civilium quae in Cazastania sub communis starum regimine celebrata sunt	197
QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	211
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS	213
PONTIFICII CONSILII PUBLICATIONES	213

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI	
Considerazioni circa i progetti di riconoscimento legale delle unioni tra persone omo- sessuali	214

**EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS
CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO**

Coetus studiorum « De Locis et de Temporibus Sacris » (Sessio IV)	224
Schema Canonum « De Locis et de Temporibus Sacris deque Cultu Divino »	251
Coetus studiorum « De Locis et de Temporibus Sacris » - Series Altera (Sessio I)	270
NOTITIAE	297
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	299
INDEX GENERALIS	301

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

COETUS STUDII

« DE LOCIS ET DE TEMPORIBUS SACRIS DEQUE CULTU DIVINO »

Sessio IV^a

(dd. 12-16 februarii 1973 habita)

Diebus 12-16 februarii 1973, in Aula Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut sodales Coetus Studii ad recognoscendas normas de locis et de temporibus sacris deque de cultu divino.

Interfuerunt sequentes Consultores: Exc.mus Robertus Bézac; Rev.mi Alexander Dordett, Christophorus Berutti, Antonius Dominicus de Sousa, Petrus Abellan; Ill.mus Marius Petroncelli.

Praesentes quoque erant Rev.mus P. Raimundus Bidagor, Secretarius Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, et Rev.dus Franciscus Voto, a studiis eiusdem Commissionis.


Quintae adunationi praefuit Em.mus Card. Pericles Felici, Praeses Commissionis; ceteris adunationibus praefuit Rev.mus Bidagor.

Rev.dus Abellan functus est munere Relatoris, loco Rev.di McReavy, qui aegrotus erat; Rev.dus Voto functus est munere actuarii.

In hac Sessione examinatae sunt sequentes quaestiones: de sanctuariorum; de cultu divino (cann. 1255–1321 CIC).

Circa quaestions de cultu divino votum paraverunt Consultores Castellano, Bézac, Arrieta, Kaldany, Crovella, McReavy, Berutti, Abellan, de Sousa, Jaros et Petroncelli.

Rev.mus Relator de votis Consultorum Relationem scripto apparavit.



Adunatio I^a
die 12 februarii 1973 – mane habita

Rev.mus Secretarius salutem dicit omnibus Consultoribus et petit ipsi approbent num Relationem laborum III^{ae} Sessionis quod attinet sive ad veritatem sive ad integritatem eorum quae referuntur.

Rev.mus primus Consultor incusat quandam contradictionem quae primo oculo videtur haberi inter suffragia ab ipso data, quae referuntur in pag. 16 et pag. 17.¹

Actuarius explicat illa non esse contradictoria quia Rev.mus primus Consultor volebat retinere in lege communi indicem *completum* festorum et ideo suum suffragium fuit negativum sive contra primum dubium (placetne retinere in codice *aliquem* indicem festorum), sive contra formulam canonis, in qua de facto index ad minimum reductus est.

Hac explicatione data, Relatio omnibus placet.

Deinde Relator quaestiones disceptandas proponit et primo de recognitione canonum de sanctuariis, qui approbati fuerunt in Sessione praecedenti.

Relator censet schema illorum canonum aliqua consideratione adhuc indigere praesertim ut melius definiantur respectus qui attinent ad regimen sanctuarii, ad bona ipsius sanctuarii et ad integrationem sanctuarii in vita paroeciali et dioecesana, etc., opportunitatem perpendendi hos respectus, attamen omnibus placet ut discussio differatur ad crastinam diem, ita ut interim unusquisque possit has quaestiones de sanctuariis perpendere.

Pro opportunitate et commodo ipsorum Consultorum Relator hunc conspectum quaestionum omnibus praebet:

- I. *De definitione Sanctuarii* (can. 1)
 1. « Ecclesia vel aedes sacra »
var. « aedes vel loca sacra ».
 2. « a competente auctoritate ecclesiastica recognitam »
var. « probante auctoritate ecclesiastica competente ».
 3. « ob specialem indulgentiam ibi lucrandam »
var. (omittatur).
 4. « animo peregrinandi »
var. (omittatur).

¹ Cf. *Communicationes* XXXV/1 (2003), 120.

II. *De regimine Sanctuarii* (cfr. can. 2)

- q. 1^a: Num divisio (paroeciale, diocesanum, etc.) servanda sit;
- q. 2^a: « si id exigant rationes vere pastorales »
var. (omittatur)
var. « si id exigant rationes pastorales »
var. « si id opportunum videatur »;
- q. 3^a: De regimine Sanctuarii relate ad parochum
De regimine Sanctuarii relate ad Episcopum.

III. *De bonis temporalibus Sanctuarii*

- q. 1^a: De subiecto proprietatis;
- q. 2^a: De administratione bonorum et de eorum destinatione;
- q. 3^a: De lucro vitando.

IV. *De integratione Sanctuarii in vita paroeciali, diocesana, etc.*

- q. 1^a: Problema;
- q. 2^a: Num aliquid in Iure dici debeat de hac integratione (cfr. Sabbattani, can. 3, § 1);
- q. 3^a: Quatenus affirmative, quid et quomodo dicendum.

Adunatio II^a

die 13 februarii 1973 – mane habita

Consultores incipiunt recognitionem canonum de Sanctuariis, qui iam approbati fuerunt in Sessione praecedenti.

1. *De definitione Sanctuarii*

In praecedenti Sessione haec formula approbata fuit:

« *Sanctuarii nomine intelligitur ecclesia vel aedes sacra divino cultui publice exercendo dicata, ad quam ob peculicarem pietatis causam, a competente auctoritate ecclesiastica recognitam, v.gr. ob religiosas memorias, ob imaginem sacram ibi veneratam, ob reliquiam insignem ibi asservatam, ob miraculum ibi patratum, ob specialem indulgentiam ibi lucrardam, fideles animo peregrinandi accurrunt ad gratias impetrandas vel vota solvenda* ».

Relator sequentes mutationes proponit:

a) « *Sanctuarii nomine intelliguntur aedes vel loca sacra....* », loco « *intelligitur ecclesia vel aedes sacra* ». Saepe enim, saltem initio, sanctuarium existit sine ecclesia vel aede sacra, ideo melius est adhibere locutionem generaliorem « *aedes vel loca sacra* ».

Consultores concordant cum Rev.mo Relatore, eo vel magis quod sub nomine “aedes” etiam, ecclesia intelligitur.

Suffragatur utrum placeat dicere « aedes vel loca sacra » loco « ecclesia vel aedes sacra » necne.

Omnibus placet.

b) « Approbante auctoritate ecclesiastica competente », loco « a competente auctoritate ecclesiastica recognitam ». Saepe enim auctoritas ecclesiastica dat approbationem sanctuarii, quin recognoscat causam vel fundamentum ex quo sanctuarium sumit originem.

Rev.mus secundus Consultor censet approbationem auctoritatis ecclesiasticae esse necessariam et sufficientem. Aliquando enim causa vel fundamentum sanctuarii non consistit in aliquo facto extraordinario (quod “recognosci” debet), sed provenit ex simplici voluntate alicuius qui promovet devotionem et pietatem in aliquo loco.

Ill.mus tertius Consultor item censet approbationem auctoritatis ecclesiasticae esse necessariam et sufficientem, eum praesertim in finem ut cito definiatur quodnam sit subiectum proprietatis illius sanctuarii, ad vitandum studium quaestus vel speculationis.

Suffragatar placetne dicere « approbante auctoritate ecclesiastica competente », loco « a competente auctoritate ecclesiastica recognitam ».

Placet omnibus.

c) Omittantur verba « ob specialem indulgentiam ibi lucrardam », quia indulgentia non est aliquid constitutivum sanctuarii, sed aliquid subsequens ad erectionem sanctuarii.

Rev.mus quartus Consultor vellet illa verba retinere, quia aliquando correspondent veritati rei, id est causa principalis peregrinationis ad sanctuarium quandoque est indulgentia ibi lucranda; attamen Rev.mus quartus Consultor se remittit maioritati Consultorum.

Suffragatur utrum placeat supprimere illa verba necne.

Omnibus placet.

d) Omittantur verba « animo peregrinandi », quia plures fideles accurunt ad sanctuaria sine animo peregrinandi.

Rev.mi secundus et quartus Consultores concordant cum Rev.mo Relatore, quia animus peregrinandi pertinet ad dispositiones subiectivas fide-

lium et non debet poni tamquam elementum essentiale definitionis sanctuarii.

Rev.mus primus Consultor animadvertisit quod *initio* fideles accurrunt ad sanctuarium semper cum animo peregrinandi; postea, cum iam sanctuarium constitutum sit, accurrunt etiam alii sine animo peregrinandi, simul tamen cum illis qui habent animum peregrinandi; hac de causa “animus peregrinandi” videtur aliquantulum essentiale ad ipsam notionem sanctuarii.

Rev.mus Secretarius et Ill.mus tertius Consultor, etsi admittunt animum peregrinandi non esse essentiale ad notionem sanctuarii, mallingen tamen illa verba retinere, quia indicant aliquid peculiare et valde conne-xum cum ipsa notione sanctuarii.

Suffragatur utrum placeat supprimere illa verba necne:

Placet 3; non placet 2.

His emendationibus factis, Relator proponit ut can. 1 ita redigatur:

« *Sanctuarii nomine intelliguntur aedes vel loca sacra divino cultui publice exercendo dicata, ad quae ob peculiarem pietatis causam, v.gr. ob religiosas memorias, ob imaginem sacram ibi veneratam, ob reliquiam insignem ibi asservatam, ob miraculum ibi patratum, fideles, approbante auctoritate ecclesiastica competente, accurrunt ad gratias impetrandas vel vota solvenda ».*

Formula omnibus placet.

2. De regimine sanctuarii.

In praecedenti Sessione haec formula approbata fuit:

« *Ob diversum momentum et influxum exercitum, Sanctuarium haberi potest uti paroeciale, diocesanum, regionale, nationale, internationale, accidente recognitione a competenti ecclesiastica auctoritate, quae, si id exigant rationes vere pastorales, eidem Sanctuario poterit quasdam exemptiones tribuere ».*

Rev.mus Relator sequentes quaestiones ponit:

a) Utrum divisio (paroeciale, diocesanum, etc.) servanda sit necne.

Ratio huius dubii est quia difficile concipi potest sanctuarium quod sit paroeciale, cuius influxus scilicet limitetur ad circumscriptionem paroecialem. Nihil vetat quin sanctuarium coexistat cum paroecia in eadem eccllesia, sed influxus sanctuarii semper excedit limites paroeciae. Ideo Rev.mus Relator proponit ut supprimatur haec categoria sanctuarii paroecialis.

Rev.mus Secretarius censet non esse impossibile ut intra limites ali-

cuius paroeciae exsistat sanctuarium in quo verificantur omnia quae dicta sunt in § 1, quin ad ipsum accurant fideles aliarum paroeciarum.

Rev.mus secundus Consultor sub alio aspectu quaestionem considerat, quia ipse censet nullam haberi rationem utilem considerandi in Codice sanctuaria diocesana vel paroecialia; de his, enim, videt Episcopus, qui habet plenam potestatem edendi normas de ipsorum regimine. In lege communi sane normae dari debent de regimine sanctuariorum nationalium vel internationalium, ne Ordinarius loci vindicet sibi potestatem dandi normas illa circa sanctuaria.

Cum propositio Rev.mi secundi Consultoris omnibus placet, ipse redigit canonem hoc modo:

« *Ut sanctuarium dici possit nationale accedere debet approbatio Conferentiae episcopalis; ut dici possit internationale requiritur approbatio Sanctae Sedis ».*
Formula omnibus placet.

Rev.mus Relator querit utrum conveniat ne aliquid dicere de exemptionibus, sanctuariis nationalibus vel internationalibus concedendis.

Consultores respondent affirmative.

Ideo Rev.mus Secretarius proponit ut addatur alia paragraphus, his verbis:

« § 2. *Quod si id exigant rationes loci aut frequentia peregrinantium ad sanctuarium, quaedam exemptiones eidem concedi poterunt ».*

Formula omnibus placet.

Adunatio III^a
die 14 februarii 1973 – mane habita

Rev.mus Relator querit utrum aliquid decerni debeat necne de relationibus inter rectorem sanctuarii nationalis vel internationalis et parochum loci vel Ordinarium loci. Huiusmodi relationes generatim moderantur in statutis sanctuarii, attamen notandum est quod Conferentia episcopalis caret potestate legislativa et non potest dare statuta sanctuariis, nisi haec potestas eidem conferatur a lege.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut ita redigatur hic canon:

« *Ad condenda statuta sanctuarii nationalis competens est Conferentia episcopalis; ad statuta sanctuarii internationalis sola Apostolica Sedes ».*

Formula canonis omnibus placet.

3. *De bonis temporalibus sanctuarii*

Rev.mus Relator quaerit utrum aliquid dicendum sit necne de subiecto proprietatis, de administratione bonorum et de eorum destinatione, de lucro vitando.

Rev.mus quartus et Ill.mus tertius Consultores censem haec omnia pertinere ad statuta sanctuarii et ideo illi, quibus competit dare statuta, decernere debent de bonis temporalibus in ipsius statutis.

Rev.mo secundo Consultori non placet relinquere simpliciter iuri particulari ut decernat quid statuta continere debeant; ipsi potius placeret determinare in lege communi quaestiones principaliores, quae in statutis moderari debent ab illis quibus competit, scilicet:

- de relationibus inter parochum et rectorem sanctuarii;
- quaenam sit persona iuridica sanctuarii;
- quinam sit administrator bonorum.

Ill.mus tertius Consultor determinare vellet quinam sit subiectum bonorum antequam sanctuarium constituatur, ut vitentur abusus.

Rev.mus Secretarius respondet pro illis bonis, quae habentur antequam sanctuarium constituatur, valere normas generales de iure patrimoniali ecclesiae, praesertim can. 1536, ubi statuitur praesumptio in favorem ecclesiae.

Rev.mus Relator concordat cum Rev.mo secundo Consultore et cum Rev.mo Secretario et proponit ut canon de statutis sanctuarii ita redigatur:

« § 1. *Ad condenda statuta sanctuarii dioecesani competens est Ordinarius loci; ad statuta sanctuarii nationalis Conferentia episcopalis; ad statuta sanctuarii internationalis sola Sancta Sedes.*

§ 2. *In his statutis determinetur praesertim finis, auctoritas rectoris, proprietas et administratio bonorum, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie ».*

Formula omnibus placet.

4. *De integratione sanctuarii in vita paroeciali, dioecesana, etc.*

In praecedenti Sessione haec formula approbata fuit:

« *In sanctuariorum suppedimentis fidelibus abundantiora media salutis, iis proponendo copiam confessariorum et insimul apte fovendo catechesim, vitam liturgicam et sacramentalem ».*

Nonnullis Consultoribus placeret aliquid addere in canone circa integrationem sanctuarii in vita paroeciali vel dioecesana, et Rev.mus Secretarius animadvertisit id esse valde difficile quia agitur de fidelibus peregrinantibus ad sanctuarium per unum diem vel per aliquam horam, qui non possunt integrari in vita paroeciali vel dioecesana. Circa autem abusus vietandos, addit Rev.mus Secretarius, non est necesse peculiarem normam dare, quia pertinet ad curam pastoralem advigilare ne fiant abusus.

Rev.mus Relator quaerit utrum placeat retinere necne canonem approbatum in praecedenti Sessione.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut canon ad haec tantum verba reeducatur:

« In sanctuariis suppeditentur fidelibus abundantiora media salutis ».

Rev.mi primus et quartus Consultores volunt retinere canonem prout est.

Rev.mus Relator proponit ut supprimatur verbum « catechesim » et ita canon redigatur:

« *In sanctuariis suppeditentur fidelibus abundantiora media salutis, apte fo- vendo vitam liturgicam et sacramentalem* ».

Rev.mus primus Consultor multum insistit ut retineatur etiam verbum « catechesim », attamen post aliquam discussionem formula Rev.mi Relatoris omnibus placet.

Adunatio IV^a
die 14 februarii 1973 – vespera habita

De Cultu divino

Rev.mus Relator proponit ut, antequam examinentur singuli canones Codicis Iuris Canonici circa cultum divinum, apte considerentur haec principia seu criteria pro recognitione illorum canonum, quae Rev.mus McReavy in sua relatione indicavit:

1) Illae normae censendae sunt *liturgicae iurique liturgico remittendae*, quae *ad cultum divinum bene ordinandum praecipue diriguntur*; tamquam *canonicae censendae sunt, et in Codice retinendae*, eae solae normae quae *ad bonum ordinem publicum in Ecclesia servandum vel promovendum destinantur*.

2) Etiam inter eas normas quae merito *canonicae esse iudicantur*, *illae solae in Codice retinendae sunt, quae modo uniformi pro Ecclesia universa*

determinari debent, ceteris ad ius particulare vel ad consuetudines locales relegatis.

3) Canones qui *doctrinam theologicam* declarant, potiusquam normam iuridicam statuunt, non sunt retinendi, nisi quatenus ad normas iuridicas recte intelligendas requiri videantur.

Omnis Consultores laudant haec tria criteria; aliqui tamen quondam dubitationem habent circa modum deducendi in praxi secundum et tertium criterium.

Rev.mus primus Consultor, ex. gr., dicit neminem Consultorum habere talem scientiam de adjunctis singularum regionum, ut indicare possit quaenam normae valere possint pro universa Ecclesia.

Rev.mus quartus Consultor concordat cum Rev.mo primo Consultore, attamen censet solutionem quaestionum non esse impossibilem, quia in casibus dubiis vel difficilioribus normae dari poterunt a Conferentiis episcopatibus, quae bene cognoscunt adjuncta suarum regionum.

Alia difficultas deducendi in praxi tertium criterium in lucem ponitur a Rev.mo secundo Consultore, qui monet Consultores ne adhaereant uni vel aliae sententiae theologorum, sed potius prae oculis habeant doctrinam communem.

His dictis examinatur quinam canones CIC retinendi aut supprimendi sint.

Can. 1255

Omnis Consultores proponunt ut supprimatur can. 1255, quia quae ibi continentur, pertinent ad doctrinam theologicam.

Can. 1256

Cum omnibus Consultoribus placeat retinere can. 1256, Rev.mus Relator proponit ut formula ita redigatur:

«*Cultus, si deferatur nomine Ecclesiae a personis legitime ad hoc deputatis et per actus ex Ecclesiae institutione exhibendus, dicitur publicus; sin minus, privatus*».

Formula omnibus placet.

Can. 1257

Pro recognitione huius canonis prae oculis habetur praescriptum Concilii Oecumenici Vaticani Secundi (cfr. *Sacrosanctum Concilium*, n. 22), ubi

facultas datur etiam Episcopis et Conferentiis episcopalibus ordinandi, intra certos limites, sacram liturgiam.

Hoc praescripto natus, Rev.dus McReavy hanc formulam novi canonis proposuit:

« § 1. *Sacrae liturgiae moderatio ad Ecclesiae auctoritatem unice pertinet, imprimis quidem ad Apostolicam Sedem, sed etiam, intra limites iure liturgico statutos, ad Conferentiam episcopalem pro suo territorio, et ad Episcopum pro sua dioecesi.*

§ 2. *Ecclesiae ministri in cultu excercendo unice a Superioribus ecclesiasticis dependere debent. Quapropter nemo omnino alius, etiamsi sit sacerdos, quidquam proprio marte in liturgia addat, demat, aut mutet ».*

Rev.mus primus Consultor hanc formulam laudat, attamen proponit ut auctoritates, de quibus in paragrapto I^a, recenseantur hoc ordine: Sancta Sedes, Episcopus, Conferentia episcopalis.

Rev.mus secundus Consultor vero proponit ut canon ita redigatur:
« *Apostolicae Sedis est liturgiam ordinare, libros liturgicos necnon eius versiones approbare; idem ius competit Episcopis eorumque coetibus intra limites vero propriae competentiae ».*

Formula Rev.mi secundi Consultoris omnibus placet.

Rev.mus Relator quaerit utrum placeat necne completere canonem his verbis: « quapropter nemo omnino alius, etiamsi sit sacerdos, quidquam proprio marte in liturgia addat, demat, aut mutet ».

Omnes Consultores respondent affirmative.

Can. 1258

Rev.mus Relator refert in Coetu « De sacramentis » plures quaestiones particulares tractatas fuisse circa communicationem cum acatholicis in confectione sacramentorum. In praesenti canone vero desideratur principium aliquod generale circa communicationem in sacris.

In voto Exc.mi Kaldany habetur natus quidam novi canonis, iuxta “Directorium ad ea, quae a Concilio Vaticano II de re oecumenica promulgata sunt, exequenda”.

Consultores tamen censem formulam Kaldany esse nimis prolixam, cum contineat normas minutae, quae sunt propria Directorii. Ideo committitur Rev.mo Relatori ut novam formulam redigat quae sit basis discussionis.

Adunatio V^a
die 15 februarii 1973 – mane habita

Huic conventui praeest Em.mus Cardinalis Praeses.

Rev.mus Relator praebet Rev.mis Consultoribus novum schema can. 1258:

« § 1. Firmis praescriptis canonum... (de administratione et susceptione Sacramentorum), Catholicorum praesentia in cultu liturgico Fratrum seiuncorum permitti potest:

- a) iusta de causa
- b) iusta de causa a Conferentia episcopali probata
- c) iusta de causa ab Ordinario loci probata
- d) iusta de causa, ex. gr. ob publicum officium vel. munus, cognitionem, amicitiam vel. desiderium maioris cognitionis, conventum oecumenicum, etc.

§ 2. His in casibus Catholici non vetantur aliquam partem habere in communibus precibus illius Communiantis cuius veluti hospites sunt, dummodo fidei catholicae non contradicant. Quod, versa vice, de modo praesentiae Fratrum seiuncorum in celebrationibus in ecclesiis Catholicis dicendum est.

§ 3. In caeremoniis quae communicationem sacramentalem non postulant, ministri aliarum Communionum qui eis intersunt, locum dignitati suaे congruentem e mutuo consensu accipient. Item ministri catholici praesentes caeremoniis apud alias Communiones celebratis vestem choralem induere possunt, ratione habita consuetudinum localium.

§ 4. Si Fratribus seiunctis desunt loca in quibus caeremonias suas rite et digne celebrent, Ordinarius loci usum aedificii catholici vel coemeterii vel templi concedere potest ».

Quoad § 1 sequentes animadversiones habentur:

a) Cardinalis Praeses proponit ut dicatur: « ... Catholici adesse possunt ... », loco: « Catholicorum praesentia permitti potest »;

b) Rev.mus primus Consultor proponit suppressionem verborum « iusta de causa », servatis tantum verbis « ob causam a Conferentia episcopali vel ab Episcopo probata ». Causa enim quae probatur a competenti auctoritate est iusta.

Cardinalis Praeses dicit ex approbatione competentis auctoritatis haberi tantum praesumptionem, non autem certitudinem quod causa sit iusta.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut dicatur: « ... iusta de causa, servatis tamen his quae ab Ordinario loci vel a Conferentia episcopali statuta sint ».

His dictis, Rev.mus Relator querit utrum placeat § 1 ita redigere necne:

« *Firmis praescriptis canonum ..., catholici, iusta de causa, adesse possunt cultui liturgico Fratrum seiunctorum, servatis tamen his quae ab Ordinario loci vel a Conferentia episcopali statuta sint ».*

Haec formula omnibus placet.

Circa §§ 2 et 3, quaeritur ab Em.mo Praeside utrum servari debeant in lege generali necne normae quae ibi continentur. Tales normae enim continentur in *Directorio Oecumenico* et egent peculiaribus determinationibus secundum circumstantias locorum, ideo melius videtur ut non ponantur in Codice.

Rev.mi Secretarius, secundus et quartus Consultores concordant cum Cardinali Praeside.

Rev.mi primus Consultor et Relator vellent illas normas introducere in novum Codicem, quia vigentem disciplinam penitus mutant.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut normae paragraphorum 2^{ae} et 3^{ae} exprimantur modo generali in ipsa paragrafo 1^a.

Rev.mus secundus Consultor, hanc suggestionem accipiens, proponit ut § 1 ita compleatur:

« *Firmis praescriptis ... Catholici ... adesse possunt cultui liturgico Fratrum seiunctorum vel etiam in ipso aliquam partem habere, servatis tamen etc... ».*

Suffragatur utrum placeat haec additio necne, loco §§ 2 et 3:
Omnibus placet.

Circa § 4 omnes concordant ut retineatur in novo Codice, attamen aliqui censent locum aptum esse in parte “De locis sacris”.

Formula autem, collatis consiliis, ita completur:

« *Si Fratribus seiunctis desunt loca ... Ordinarius loci usum aedificii ... concedere potest, iuxta normas a Conferentia episcopali statutas (vel: collatis consiliis cum aliis membris Conferentiae episcopalis) ».*

Can. 1259

Examinatur nova formula, quam proposuit Rev.mus McReavy, ad mentem Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 13, quaeque ita sonat:

« *§ 1. Curent locorum Ordinarii ut orationes et pia exercitia, ea praesertim quae in publico fidelium usu sunt, legibus et normis Ecclesiae plene obtemperent et temporis liturgici spiritui congruant.*

§ 2. In casibus difficilioribus vel. insuetis rem totam Sedi Apostolicae subiificant ».

Rev.mus secundus Consultor censem hunc canonem esse superfluum, cum iam approbatus sit canon generalis (1257), qui statuit ius Episcoporum circa ordinationem liturgiae.

Alii Consultores vero censem hunc canonem esse necessarium quia statuit ius Episcopi non tantum circa libros stricte liturgicos (can. 1257), sed etiam circa « alias orationes et pia exercitia ».

Rev.mus Relator querit utrum placeat formula canonis ita contrahere necne:

« Curent locorum Ordinariis ut orationes et pia exercitia, ea praesertim quae in publico fidelium usu sint, normis Ecclesiae plene congruant ».

Haec formula omnibus placet.

Can. 1260

Omnes Consultores concordant pro suppressione huius canonis, in quo vindicatur independentia ministrorum Ecclesiae in cultu exercendo ab auctoritate civili. Iamvero nostris temporibus nemo est qui dubitet de hac independentia.

Can. 1261, § 1

Cardinalis Praeses et Rev.mus primus Consultor vellent retinere tantum primam partem huius canonis, scilicet: « Locorum Ordinarii advigilant ut sacrorum canonum praescripta de divino cultu sedulo observentur ».

Rev.mus secundus Consultor autem animadvertisit ne quidem hanc primam partem canonis esse necessariam, qui habet ius dandi normas, habet ius advigilandi ut leges serventur.

Suffragatur utrum placeat supprimere canon 1261, § 1, necne:
Omnibus placet.

Can. 1261, § 2

Rev.mus Relator petit ut supprimatur etiam § 2 can. 1261, quia incongruum esset servare praeceptum de vigilantia circa religiosos tantum.

Rev.mus Secretarius censem hanc normam de relationibus inter Ordinarios loci et religiosos circa cultum liturgicum transferri posse in partem « de exemptione religiosorum », quae in novo Codice novam ordinacionem habebit.

Omnes Consultores concordant cum Rev.mo Secretario.

Can. 1262

Omnibus placet hunc canonem supprimere.

Can. 1263

Perplures Consultores petunt suppressionem huius canonis.

Rev.mus quartus Consultor autem vellet hic ponere normam n. 32
Const. *Sacrosanctum Concilium*, de vitanda acceptance privatarum personarum sive in caeremoniis sive in exterioribus pompis.

Omnes alii Consultores concordes sunt pro simplici suppressione can. 1263.

Can. 1264

Omnibus placet hunc canonem supprimere.

Adunatio VI^a
die 15 februarii 1973 – vespere habita

Cum canones tituli de custodia et cultu Sanctissimae Eucharistiae recogniti sint a Coetu « De Sacramentis », examinantur canones tituli sequentis de cultu Sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum.

Can. 1276

Consultoribus placet supprimere hunc canonem, quia continet propositionem theologicam.

Rev.mus primus Consultor vellet aliquid innuere de iure fidelium ut invocent Sanctos, sed alii Consultores censem id implicite contineri in ipsa rubrica quae inscribitur « De cultu Sanctorum ».

Can. 1277

Rev.mus Relator proponit hanc novam formulam:

« § 1. *Cultu publico eos tantum Dei Servos venerari licet, qui auctoritate Ecclesiae in album Sanctorum vel Beatorum relati sint.*

§ 2. *Servetur tamen distinctio a lege liturgica constituta inter cultum Sanctorum et Beatorum ».*

Rev.mus quartus Consultor proponit ut in § 2 declaretur etiam peculiaris cultus qui debetur B.M.V.

Suffragatur utrum placeat formula proposita a Rev.mo Relatore necne: Omnibus placet.

Can. 1278

Omnes Consultores volunt supprimere hunc canonem, excepto Rev.mo primo Consultore, qui censem canonem esse servandum quia constitutio Sancti Patroni est actus canonicus, qui a lege regi debet.

Can. 1279

Rev.mus secundus Consultor proponit ut § 4 huius canonis (de benedictione imaginum) remittatur ad ius liturgicum; et §§ 1-3 serventur quoad substantiam, ita ut statuatur ius Ordinarii reprobandi imagines falsi dogmatis vel quae debitam decentiam et honestatem non praeseferant. In hac materia enim est fere impossibile praevenire vel praecavere ne fiant abusus, quia artis expressiones sunt multiplices quae praevideri nequeunt; ideo Ordinario incumbit onus reprobandi imagines quae non congruunt cum veritate et pietate christiana.

Rev.mus Relator concordat cum Rev.mo secundo Consultore et quoad formulam canonis proponit ut recipiatur n. 125 Constitutionis *Sacrosanctum Concilium*.

Formula novi canonis ita redigitur:

« § 1. *Firma maneat praxis in ecclesiis sacras imagines fidelium venerationi proponendi; attamen moderato numero et congruo ordine exponantur, ne populo christiano admirationem inficiant, neve indulgeant devotioni minus rectae.*

§ 2. *Ordinarii loci ius et officium est curare ut imagines fidelium venerationi expositae normis § 1 congruant* ».

Haec formula omnibus placet.

Can. 1280

Rev.mus Relator proponit ut can. 1280 servetur prout est, suppresso tantum verbo « publicis » (oratoriis *publicis*).

Consultores concordant cum Rev.mo Relatore circa opportunitatem servandi hunc canonem, attamen non idem sentiunt circa locum huius canonis, aliis opinantibus aptiorem locum esse in parte “de ecclesiis”, aliis in parte de bonis Ecclesiae temporalibus.

Canon ergo approbatur, salva tamen quaestione de loco aptiore, quae remittitur ad Coetum coordinationis.

Cann. 1281-1289

Omnis Consultores concordes sunt canones de reliquiis pertinere ad ius liturgicum, excepto can. 1281, § 1, qui ita sonat:

« Insignes reliquiae aut imagines pretiosae itemque aliae reliquiae aut imagines quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorentur, nequeunt valide alienari neque in aliam ecclesiam perpetuo transferri sine Apostolicae Sedis permisso ».

Consultoribus placet ut hic canon servetur in Codice. De loco autem huius canonis considerari debet a Coetu coordinationis utrum conveniat necne illum transferre in partem de iure patrimoniali.

Adunatio VII^a
die 16 februarii 1973 – mane habita

De sacris processionibus

Omnis Consultores unanimiter censem titulum de sacris processionibus (cann. 1290-1295) pertinere ad ius liturgicum.

De sacra supellectili

Rev.mus Relator quaerit utrum titulus de sacra supellectili remittendus sit necne ad ius liturgicum.

Rev.mus primus Consultor proponit ut retineatur in Codice norma cann. 1296 et 1303.

Post brevem discussionem Consultores concordant ut titulus de sacra supellectili remittatur ad ius liturgicum, exceptis cann. 1296 et 1303.

De sententia Consultorum materia can. 1296 transferri potest ad partem de iure patrimoniali (canon de inventariis bonorum) et materia can. 1303 transferri potest in partem de iuribus Episcoporum, ex. gr. in can. 349, § 1, his verbis:

« 3º Gratiis accipiendo ab ecclesia cathedrali sacram supellectilem aliaque quae ad missae sacrificium vel ad alias pontificales functiones necessaria sint ».

De voto

Can. 1307

Formula Codicis ita sonat:

- « § 1. *Votum, idest promissio deliberata ac libera Deo facta de bono possibili et meliore, ex virtute religionis impleri debet.*
§ 2. *Nisi iure prohibeantur, omnes, congruenti rationis usu pollentes, sunt voti capaces.*
§ 3. *Votum metu gravi et iniusto emissum ipso iure nullum est.* ».

Plures Consultores volunt servare hunc canonem.

Rev.mus secundus Consultor dubitat de necessitate § 2 ex eo quod in § 1 iam mentio habetur de *deliberatione* voluntatis, quae congruum rationis usum supponit.

Suffragatur utrum placeat § 1 prout est necne:
Omnibus placet.

Suffragatur utrum placeat § 2 prout est necne:
Placet 3; non placet 1; placet iuxta modum 1.

Modus:

Supprimantur verba « congruenti rationis usu pollentes » (Rev.mus secundus Consultor).

Suffragatur utrum placeat § 3 prout est necne:
Omnibus placet.

Can. 1308

Formula Codicis ita sonat:

- « § 1. *Votum est publicum, si nomine Ecclesiae a legitimo superiore ecclesiastico acceptetur, secus privatum.*
§ 2. *Sollemne, si ab Ecclesia uti tale fuerit agnatum; secus simplex.*
§ 3. *Reservatum, cuius dispensationem sola Sedes Apostolica concedere potest.*
§ 4. *Personale, quo actio voventis promittitur; reale, quo promittitur res aliqua; mixtum, quod personalem et realem naturam participat.* ».

Omnibus Consultoribus placet retinere hunc canonem.

De § 2 tamen videbit Coetus coordinationis utrum retinendus erit necne, attenta distinctione votorum quae habebitur in iure religiosorum.

Can. 1309

Consultoribus placet ut nulla habeatur hic reservatio votorum, quia agitur de votis privatis. Ideo can. 1309 supprimitur.

Can. 1310

Formula Codicis ita sonat:

« § 1. *Votum non obligat, ratione sui, nisi emittentem.*

§ 2. *Voti realis obligatio transit ad haeredes, item obligatio voti mixti pro parte qua reale est ».*

Rev.mus secundus Consultor proponit suppressionem § 2, quia videtur incongruum quod transeat ad haeredes obligatio, quam quis contraxit in foro conscientiae coram Deo.

Rev.mus Secretarius concordat cum Rev.mo secundo Relatore. Intentio enim voventis ut aliqua bona dicantur Deo, non confert eo ipso illis bonis notam aliquam sacertatis vel saltem non obligat haeredes ut illam sacertatem agnoscant: hoc durum esset mentalitati hodiernae.

Rev.mus Relator item concordat cum Rev.mo secundo Relatore; ceterum qui votum facit potest expresse obligationes exprimere in suo testamento.

Suffragatur utrum placeat suppressare § 2 necne:

Omnibus placet.

Can. 1311

Formula Codicis sic sonat:

« *Cessat votum lapsu temporis ad finiendam obligationem, appositi, mutatione substantiali materiae promissae, deficiente conditione a qua votum pendet aut eiusdem causa finali, irritatione, dispensatione, commutatione ».*

Consultores servare volunt hunc canonem prout est, ponendo tamen verbum “suspensione” loco “irritatione”. Ratio mutationis huius verbi est quia Consultores retinere volunt tantum possibilitatem suspensionis de qua

in can. 1312, § 2, non autem possibilitatem irritationis de quia in § 1 eiusdem canonis.

Can. 1312

Formula Codicis sic sonat:

« § 1. *Qui potestatem dominativam in voluntatem voventis legitiime exercet, potest eius vota valide et, ex iusta causa, etiam licite irrita reddere, ita ut nullo in casu obligatio postea reviviscat.*

§ 2. *Qui potestatem non quidem in voluntatem voventis, sed in voti materiam habet, potest voti obligationem tandiu suspendere, quandiu voti adimplementum sibi praeiudicium afferat ».*

Omnis Consultores, excepto Ill.mo tertio Consultore, supprimere volunt § 1 huius canonis, quia contradicit mentalitati hodiernae de autonomia propriae conscientiae.

De § 2 autem Consultores unanimiter concordant ut servetur hoc modo: « Qui potestatem habet in voti materiam, potest voti obligationem tandiu suspendere, quandiu voti adimplementum sibi praeiudicium afferat ».

Can. 1313

Formula Codicis ita sonat:

« *Vota non reservata possunt iusta de causa dispensare, dummodo dispensatio ne laedat ius aliis quaesitum:*

1º *Loci Ordinarius quod attinet ad omnes suos subditos atque etiam peregrinos;*

2º *Superior religionis clericalis exemptae quod attinet ad personas quae can. 514, § 1, enumerantur;*

3º *Ii quibus ab Apostolica Sede delegata fuerit dispensandi potestas ».*

Initio canonis dici debet « *vota privata* » loco « *vota non reservata* ».

Rev.mus quartus Consultor proponit ut n. 2 ita mutetur: « *Superior Instituti perfectionis clericalis, quod attinet ad personas... ».*

Suffragatur utrum placeat can. 1313 cum his mutationibus necne:
Omnibus placet.

Can. 1314

Formula Codicis ita sonat:

« *Opus voto non reservato promissum potest in melius vel in aequale bonum ab ipso vovente commutari; in minus vero bonum ab illo cui potestas est dispensandi ad normam can. 1313* ».

Omnibus Consultoribus placet hunc canonem retinere prout est, mutatis tamen initio verbis « opus voto privato » loco « opus voto non reservato ».

Can. 1315

Formula Codicis ita sonat:

« *Vota ante professionem religiosam emissam suspenduntur, donec vovens in religione permanerit* ».

Consultoribus placet hunc canonem retinere prout est.

De iureiurando

Can. 1316

Omnibus Consultoribus placet retinere formulam Codicis, quae ita sonat:

« § 1. *Iusturandum, idest invocatio Nominis divini in testem veritatis, praestari nequit, nisi in veritate, in iudicio et in iustitia.*

§ 2. *Iusiurandum quod canones exigunt vel. admittunt, per procuratorem praestari valide nequit* ».

Can. 1317

Formula Codicis sic sonat:

« § 1. *Qui libere iurat se aliquid facturum, peculiari religionis obligatione tenetur implendi quod iureiurando firmaverit.*

§ 2. *Iusiurandum per vim aut metum gravem extortum valet, sed a Superiori ecclesiastico relaxari potest.*

§ 3. *Iusiurandum nec vi nec dolo praestitum quo quis privato bono aut favori renuntiat lege ipsi concesso, servandum est quoties non vergit in dispensatum salutis aeternae* ».

Omnibus Consultoribus placet servare §§ 1 et 2 prout sunt.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut in § 3 supprimantur verba « quoties non vergit in dispendium salutis aeternae ».

Propositio Rev.mis secundi Consultoris omnibus placet.

Can. 1318

Formula Codicis ita sonat:

« § 1. *Iusiurandum promissorum sequitur naturam et conditiones actus cui adiicitur.*

§ 2. *Si actui directe vergenti in damnum aliorum aut in praeiudicium boni publici vel salutis aeternae iusiurandum adiiciatur, nullam exinde actus consequitur firmitatem.* ».

Consultoribus placet servare § 1 prout est. Rev.mus Relator censet § 2 supprimi posse, quia non est nisi explicatio aliqua paragraphi 1^{ae}.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut in § 2 dicatur simpliciter iuramentum, quod huiusmodi actibus adiiciatur, nullam obligationem parere ex motivo religionis.

Post brevem discussionem Consultores decernunt ut § 2 provisorie retineatur, suppressis tantum verbis « vel salutis aeternae ». Votum tamen faciunt ut maturius consideretur utrum § 2 retinenda sit necne.

Can. 1319

Formula Codicis ita sonat:

« *Obligatio iureiurando promissorio inducta desinit:*

1º *Si remittatur ab eo in cuius commodum iusiurandum emissum fuerat;*

2º *Si res iurata substantialiter mutetur, aut, mutatis adiunctis, fiat sive mala sive omnino indifferens, aut denique maius bonum impedit;*

3º *Deficiente causa finali aut conditione sub qua forte iusiurandum datum sit;*

4º *Irritatione, dispensatione, commutatione, ad normam can. 1320.* ».

Consultoribus placet retinere hunc canonem, mutato tantum verbo « suspensione » loco « irritatione ».

Can. 1320

Formula Codicis ita sonat:

« Qui irritare, dispensare, commutare possunt votum, eandem potestatem eademque ratione habent circa iusurandum promissorum; sed si iurisurandi dispensatio vergat in praeiudicium aliorum qui obligationem remittere recusent, una Apostolica Sedes potest iusurandum dispensare propter necessitatem aut utilitatem Ecclesiae ».

Consultoribus placet retinere canonem prout est, mutato tantum verbo « dispensare » loco « irritare ».

Can. 1321

Consultoribus placet retinere formulam Codicis, quae ita sonat:

« Iusurandum stricte est interpretandum secundum ius et secundum intentionem iurantis, aut, si hoc dolo agat, secundum intentionem illius cui iuratur ».

APPENDIX

CANONES APPROBATI

De Sanctuariorum

Can. 1

Sanctuariorum nomine intelliguntur aedes vel loca sacra divino cultui publice exercendo dicata, ad quae ob peculiarem pietatis causam, v.gr. ob reliquias memorias, ob imaginem sacram ibi veneratam, ob reliquiam insignem ibi asservatam, ob miraculum ibi patratum, fideles, approbante auctoritate ecclesiastica competente, accurrunt ad gratias impetrandas vel vota solvenda.

Can. 2

§ 1. Ut sanctuarium dici possit nationale, accedere debet approbatio Conferentiae episcopalis; ut dici possit internationale requiritur approbatio Sanctae Sedis.

§ 2. Quod si id exigant rationes loci et frequentia peregrinantium ad sanctuarium, quaedam exemptiones eidem concedi poterunt.

Can. 3

§ 1. Ad condenda statuta sanctuarii dioecesani, competens est Ordinarius loci; ad statuta sanctuarii nationalis Conferentia episcopal; ad statuta sanctuarii internationalis sola S. Sedes.

§ 2. In his statutis determinetur praesertim finis, auctoritas rectoris, proprietas et administratio bonorum, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie.

Can. 4

In sanctuariis suppeditentur fidelibus abundantiora media salutis, apte fovendo vitam liturgicam et sacramentalem.

*De Cultu Divino**Can. 1256*

Cultus, si deferatur nomine Ecclesiae a personis legitime ad hoc deputatis et per actus ex Ecclesiae institutione exhibendos, dicitur publicus; sin minus, privatus.

Can. 1257

Apostolicae Sedis est liturgiam ordinare, libros liturgicos necnon eius versiones approbare; idem ius competit Episcopis eorumque coetibus intra limites vero propriae competentiae. Quapropter nemo omnino alias, etiamsi sit sacerdos, quidquam proprio marte in liturgiam addat, demat, aut mutet.

Can. 1258

§ 1. Firmis praescriptis canonum ... (de administratione et susceptione sacramentorum), catholici, iusta de causa, adesse possunt cultui liturgico Fratrum seiunctorum vel etiam in ipso aliquam partem habere, servatis tamen his quae ab Ordinario loci vel a Conferentia episcopali statuta sint.

§ 2. Si Fratribus seiunctis desunt loca in quibus caeremonias suas rite et digne celebrent, Ordinarius loci usum aedificii catholici vel coemeterii vel templi concedere potest, iuxta normas a Conferentia episcopali statutas (vel: collatis consiliis cum aliis membris Conferentiae episcopal).

Can. 1259

Curent locorum Ordinarii ut orationes et pia exercitia, ea praesertim quae in publico fidelium usu sint, normis Ecclesiae plene congruant.²

De Cultu Sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum

Can. 1277

§ 1. Cultu publico eos tantum Dei servos venerari licet, qui auctoritate Ecclesiae in album Sanctorum vel Beatorum relati sint.

§ 2. Servetur tamen distinctio a lege liturgica constituta inter cultum Sanctorum et Beatorum.

Can. 1279

§ 1. Firma maneat praxis in ecclesiis sacras imagines fidelium venerationi proponendi; attamen moderato numero et congruo ordine exponantur, ne populo christiano admirationem inficiant, neve indulgeant devotioni minus rectae.

§ 2. Ordinarii loci ius et officium est curare ut imagines, fidelium venerationi expositae, normis § 1 congruant.

Can. 1280

Imagines pretiosae, idest vetustate, arte, aut cultu praestantes, in ecclesiis vel oratoriis fidelium venerationi expositae, si quando reparatione numquam restaurentur sine dato scriptis consensu ab Ordinario; qui, antequam licentiam concedat, prudentes ac peritos viros consulat.

Can. 1281

Insignes reliquiae aut imagines pretiosae itemque aliae reliquiae aut imagines quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorentur, nequeunt valide alienari neque in aliam ecclesiam perpetuo transferri sine Apostolicae Sedis permisso.³

² De obligatione religiosorum ad servandas leges ab Ordinario latae in re liturgica, sermo erit in parte de Institutis perfectionis, quando agitur de exemptione.

³ De cann. 1280 et 1281 videndum erit utrum opportunius collocandi sint necne in parte de iure patrimoniali.

De sacra supellectili.

Consultores concordant ut servetur materia can. 1296, quae transferri potest ad partem de iure patrimoniali (can. de inventariis bonorum), et can. 1303, quae transferri potest in can. 349, § 1, his verbis:

3º Gratis accipiendi ab ecclesia cathedrali sacram supellectilem aliaque ad missae sacrificium vel ad alias pontificales functiones necessaria sint.

TITULUS XIX
DE VOTO ET IUREIURANDO

CAPUT I *De voto*

Can. 1307

§ 1. Votum, idest promissio deliberata ac libera Deo facta de bono possibili et meliore, ex virtute religionis impleri debet.

§ 2. Nisi iure prohibeantur, omnes congruenti rationis usu pollentes, sunt voti capaces.

§ 3. Votum metu gravi et iniusto emissum ipso iure nullum est.

Can. 1308

§ 1. Votum est *publicum*, si nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptetur, secus *privatum*.

§ 2. *Sollemne*, si ab Ecclesia uti tale fuerit agnatum; secus, *simplex*.⁴

§ 3. *Reservatum*, cuius dispensationem sola Sedes Apostolica concedere potest.

§ 4. *Personale*, quo actio voventis promittitur; *reale*, quo promittitur res aliqua; *mixtum*, quod personalem et realem naturam participat.

Can. 1310

Votum non obligat, ratione sui, nisi emittentem.

⁴ Utrum § 2 servanda sit necne videbitur quando fiet coordinatio canonum novi Codicis.

Can. 1311

Cessat votum lapsu temporis ad finiendam obligationem appositi, mutatione substantiali materiae promissae, deficiente conditione a qua votum pendet aut eiusdem causa finali, suspensione, dispensatione, commutatione.

Can. 1312

Qui potestatem in voti materiam habet, potest voti obligationem tandem suspendere, quandiu voti adimplementum sibi praeiudicium afferat.

Can. 1313

Vota privata possunt iusta de causa dispensare, dummodo dispensatione laedat ius aliis quae situm:

1º Loci Ordinarius quod attinet ad omnes suos subditos atque etiam peregrinos;

2º Superior Instituti perfectionis clericalis quod attinet ad personas, quae in can. 514, § 1, enumerantur;

3º Ii quibus ab Apostolica Sede delegata fuerit dispensandi potestas.

Can. 1314

Opus voto privato promissum potest in melius vel in aequale bonum ab ipso votente commutari; in minus vero bonum ab illo cui potestas est dispensandi ad normam can. 1313.

Can. 1315

Vota ante professionem religiosam emissam suspenduntur, donec votens in religione permanerit.

CAPUT II *De iure iurando*

Can. 1316

§ 1. Iusiurandum, idest invocatio Nominis divini in testem veritatis, praestari nequit, nisi in veritate, in iudicio et in iustitia.

§ 2. Iusiurandum quod canones exigunt vel admittunt, per procuratorem praestari valide nequit.

Can. 1317

§ 1. Qui libere iurat se aliquid facturum, peculiari religionis obligatio-ne tenetur implendi quod iureiurando firmaverit.

§ 2. Iusiurandum per vim aut metum gravem extortum valet, sed a Superiore ecclesiastico relaxari potest.

§ 3. Iusiurandum nec vi nec dolo praestitum quo quis privato bono aut favori renuntiat lege ipsi concesso servandum est.

Can. 1318

§ 1. Iusiurandum promissorium sequitur naturam et conditiones actus cui adiicitur.

§ 2. Si actui directe vergenti in damnum aliorum aut in praeiudicium boni publici iusiurandum adiiciatur, nullam exinde actus consequitur firmitatem.⁵

Can. 1319

Obligatio iureiurando promissorio inducta desinit:

1º Si remittatur ab eo in cuius commodum iusiurandum emissum fuerat;

2º Si res iurata substantialiter mutetur, aut, mutatis adjunctis, fiat sive mala sive omnino indifferens, aut denique maius bonum impedit;

3º Deficiente causa finali aut conditio ne sub qua forte iusiurandum datum sit;

4º Suspensione, dispensatione, commutatione, ad normam can. 1320.

Can. 1320

Qui suspendere, dispensare, commutare possunt votum, eandem potestatem eademque ratione habent circa iusiurandum promissorium; sed si iurisiurandi dispensatio vergat in praeiudicium aliorum qui obligationem remittere recusent, una Apostolica Sedes potest iusiurandum dispensare propter necessitatem aut utilitatem Ecclesiae.

Can. 1321

Iusiurandum stricte est interpretandum secundum ius et secundum intentionem iurantis, aut, si hic dolo agat, secundum intentionem illius cui iuratur.

⁵ De paragrapho 2^a Consultores volunt ut maturius consideretur utrum retinenda sit necne.